



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Statv Religionis Christianae, Per Evropam, Asiam,  
Africam, Et Orbem Nouum, Libri IV.**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1619**

Cap. XIV. De Iudeis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11108**

Persiam rediit, magno rei Christianæ bono. Habent autem Eremitæ Augustiniani, itemque Carmelitæ Discalceati sua hodie monasteria in Aspren urbe Regia Persarum. Mirkondi Historiam Persicam ex ea lingua in Hispanicam à se translatam Petrus Texera Lusitanus anno 1610. Antuerpiæ vulgandam curauit. Scripsere de rebus item Persicis Petrus Bizarus, Barnabas Brissonius, & Ioannes Persa vir nobilis, ex Maumetano factus Christianus, Madriti in Hispania.

## C A P V T X I V .

## D E I V D A E I S .

**A**nno secundo Vespasiani Imperatoris capta est à Romanis urbs Iero-solymitana, eademque incensa & sic euersa, ut non remaneret in ea lapis super lapidem, iuxta prædictionem D. N. Iesu Christi. Ab eo tempore cœperunt Iudæi magis magisque per orbem dispergi, iusto Dei iudicio, suntque hodie per Europam, Asiam, & Africam nationibus omnibus inuisi, sine lege, sine Rege, sub tributis in servitute viuentes.

*Luc. 19.*

Nusquam plures quam in Asia, alijsque Turcici Imperij prouincijs.

Con-

Constantinopoli & Thessalonicæ viuunt multa millia eorum, qui ex Hispania & Lusitania sunt pulsi, idioma Hispanicum retinentes. Breulter, in omnibus penè emporijs Orientis, vt Cayro, Alexandria, Aleppo, Tripoli, & alijs Iudæos magno numero reperias: vt apud Europæos Venetijs, Romæ, Mantuæ, & passim per Germaniam, Poloniæ aliasque regiones.

Ex multis tamen Europæ regnis vario tempore per Christianos Principes pulsi sunt, vt ex Hispania anno 1492. per Ferdinandum & Isabellam Reges: ex Lusitania an. 1497. & sequentibus per Emmanuelem Regem; ex Francia, per Philippo Augustum, Formosum, & Liberalem, Reges; ex Anglia an. 1292. & ex regno Neapolitano an. 1539. per Carolum V. Cæfarem.

## C A P V T X V.

INDIAE ORIENTALIS  
*status.*

**I**ndia prouinciarum omnium maxima, tametsi propriè dici videtur pars illa terrarum, quam nobilissimus fluuius Indus interfluit, usus tamen obtinuit, vt etiam ultra Gangem & quæ magnum ac celebre flu men, immensi illi terrarum tractus, qui ad Sinas